

Tom III
Mijakaneop Philoby.

[Faint handwritten scribble]



59. 60
CHRISTI OPE!

De

Varijs Germanæ

Poëseos Ætatibus

EXERCITATIO.

In Almâ Leucoreâ

A. D. XIX. Augusti horis Matutinis

Loco solito, συμφιλολογούντων Examinis sistent

PRÆSES

M. CAROLUS OXZIDB/

SILESIVS:

& RESPONDENS

JOHANNES FRIDERICUS SCULTETUS,

TORGENSIS.

Exscribatur A. O. R. cIo Io cLIV.

Ære MICHAELIS WENDT.

V I R I S.

*MAGNIFICO. ADMODUM. REVERENDO.
AMPLISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS.*

D. AUGUSTO. BUCHNERO.
HUMANIORUM. LITERARUM. P. P.
ALUMNORUM. ELECTORALIUM. EPORO.
ACADEM. Æ. SENIORI. ET. HODIE. RECTORI.

D. JOHANNI. MEISNERO.
SS. THEOLOGICÆ. D. ET. P. P.
ALUMNORUM. ITEM. ELECTOR. EPORO.
ET. COLLEGII. SUI. NUNC. DECANO.

**D. JOHANNI. ERICO. OSTER-
MANNO. GRÆCÆ. LINGUÆ. P. P.**
*DOMINIS. MEIS. INDULGENTISSIMIS.
PRÆCEPTORIBUS. OPTIMIS.
PATRONIS. SUMMIS.*

PERICULUM. HOC. DISPUTATORIUM.
INSCRIBO.

*ET. QUAE CUNQUE. ISTUD. EST.
OBSERVANTIÆ. MARMOR.*

OB. MERITA. IPSORUM. IN. ME. INGENTIA.
ANTIQUA. VOTORUM. FORMULA.
LUBENS. MERITOQUE.
CONSEURO.

JOHANNES. FRIDERICUS. SCULTETUS.

PRÆLOQUIUM.

§. I.



DE Arminio, famigeratissimo Cheruscō-
rum Veterum Duce, Germaniæ suæ Liberatore,
prælijs ambiguo, invicto bellis, *C. Cornelius Ta-
citus* gravissimus Scriptor *sub calcem l. 2. Annal.*
postquam eundem regnum affectantem, ad-
versâ popularium libertate & dolo propinquo-
rum cecidisse commemoravit, *canitur adhuc*, subdit, *barbaras apud
gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Roma-
nis haut perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.*
Recordamur ejus sententiæ, dum de *Germana Poëseos ætatibus va-
rijs* honestæ recreationis & liberalis exercitij gratiâ meditari ali-
qua fert animus, non immerito in præsens, quippe qui hoc ipso
non amolitur tantum à gente nostrâ barbarici notam sumus ;
(hanc enim diu est, quod absterimus omnem) sed & æmulatur
laudem Majorum, quâ memoriam gloriamq; Suorum cum ipsis
interire passi non sunt; discessuri deinde etiam ab more Græco-
rum isto, quando vernaculæ Poëseos nostræ fata cum aliarum et-
iam Musarum, in primis Latinæ, vicibus conferemus: cauturi
tandem nobis à Romanâ quoq; illius ætatis labe, dum ita rimabi-
mur atq; mirabimur vetera, ut, neq; præsentium obliti, propriam
nostri ævi felicitatem unâ contueamur.

§. 2. Velut igitur certa mundi statuerunt Vates secula,
quorum aliud ab auro, metallorum incorruptissimo cognomi-
nârunt, aliud minuente primigeniâ sinceritate argento dede-
runt, aliud in deteriora vergens æreum dixerunt, aliud denique
ferreum ab extremâ duritie indigitarunt: & sicuti vitam anima-
lium ab infantiâ per juventutem ad pleniorẽ *ἀκμὴν* & senectu-
tis tandem spatia ultima delatam, stans ætatibus Philosopho-
rum Scholæ dimetiuntur: ita circa Poësin nostram notabimus
easdem vicissitudines, quibus jam rudis adhuc & incondita, jam
augescens paulatim & magis comtula, jam gravis oppidò & con-
summata, jam langvida vicissim & efflorescens, jam rejuvene-

A 2

scens

scens denuò & undiquaq; nitida, pro seculorum & tempestatum decursu vario deprehenditur. Nempe quales ferè alternationes Latinam quoq; variâsse Poësin, more suo, h. e. accuratissimè deduxit (l. 6. Poëtic. c. 1. & sq.) Julius Cæsar Scaliger,

Ingenium cui Dijs, & mens contermina cælo,

Cuncta unus, cunctos qui super unus erat,

Præcone Jano Dousâ Filio, & Applausore Fr. Taubmanno præf. Cul. Virgil. pag. m. 4. Quare ad illustre illius exemplum pro modulo tenuis ingenij librariæque supellectilis angustia, etates illas nostræ Poëseos absque ulteriori ambage nunc vestigabimus & sistemus hæc dissertatiunculâ, quæ, intra fixos modò cancellos decursura, ut sese nunc è primis, quod dicitur, carceribus proripiat, (id quod Feliciter vortat Deus !) esto

GERMANÆ POESEOS RUDIS INFANTIA,
ÆTAS PRIMA.

§. 3. Scaliger l. jam laud. l. i. c. 2 Poëtarum universam nationem in tres classes dirimit, quarum prima contineat priscum illud & rude genus, quod cum ipsâ panè naturâ hominum cœpit; sed nobis sui suspicionem magis, quam memoriam præsertim nominis, reliquit: altera Theologiæ mysteria tradidit: tertia demum cum Homero incipiens de multiplici materiâ multiformiter cecinit. Nos sigillatim ea ad nostros Poëtas patrios applicare quàm commodissimè possumus, inter quos (ut reliquas classes sequentibus §§ servemus) ante omnes occurrunt ignoti nominis & conditionis Vates, de quibus non nisi paucissima ea habemus, quæ Tacitus tum l. c. insinuat, tum in de Germ. moribus, ubi non procul ab initio: celebrant, scribit, carminibus antiquis (quod unum apud illos memoria & annalium genus est) Tuitonem Deum terrâ editum, & Filium Manum, originem gentis conditoresq;. Et paulò post: Fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium Virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoq; carmina, quorum relatu, quem Baritum (ita enim legendum conjectatur Lipsius, evincit Cluverius. Ille Comm. ad h. l. hic Germ. Antiq. l. i. c. 51. p. 325.) vocant, accendunt animos futureq; pugne fortunæ

nam

nam ipso cantu augurantur. Trahi huc aliqua etiam ex Diodoro Siculo & Ammiano Marcellino posse, Cluv. l. d. existimat: cum ille l. 5. de Germanis & Gallis scribat: acie instructâ procurrere solent, & optimum quemq; ex Adversarijs ad singulare certamen provocare, arma ad terrorem hostium quasantes. Si quis contra exeat ad dimicandum, strenua Majorum faciora decantant, suasq; vires deprecant, &c. Hic verò l. 31. Romani equidem voce undiq; Martiâ concinentes, à minore solitâ ad majorem protolli, quam gentilitate appellitant barritum, vires validas erigebant: barbari vero majorum laudes clamoribus stridebant inconditis, interq; varios sermones dissoni strepitûs, leviora praelia tentabantur. Hæc, & vix plura alia, primæ Germanorum Poëseos famam ad nos propagarunt.

§. 4. Initium ætatis hujus in incerto quidem, diu tamen ante N. C. positum est. Nam cum scriberet Tacitus jam allata, lapsus erat à desideratissimâ illâ Servatoris ἐπιφάνεια seculum: & vocat tamen ea, quibus tum Germani utebantur, antiqua carmina. Immo probat ex iisdem, Germanos indigenas seu ἀυτοχθόνους, ut Græci dicunt, fuisse, non convenarum colonias aut passim collectam populorum colluviem, veluti insigniter declarat C. L. Job. Strauch. dissert. 1. in Tac. de mor. Germ. c. 1. & 3. Terminum ejusdem primi seculi pariter dubium esse, sub initium secundæ ætatis docebimus. Unde quod nec duratio spatij istius integra designari certò possit, sponte consequitur.

§. 5. Autores istorum carminum, s. Poëtas primi ævi quos nunc porro nominabimus? Carent Vate Vates illi, & urgentur hinc ignati longâ nocte, qui notos nobis alios ante se fecerunt: quiq; Tuitonis, Manni, Herculis sui, Arminij atq; aliorum servarunt nobis nomina, sua perdiderunt, eâ quam dederunt alijs vitam, ipsi destituti. Parum dico, si Theologos gentis & Sacerdotes seu Curatores Sacrorum fuisse, quorum ordinem cum ipsis cultûs sui institutis, ex Asiâ secum attulisse Germani videntur, pronuncio. Id enim ex Taciti verbis facilè quivis conijciat. Quorum enim aliâs est de Deo & creatione, seu primo ab illo condito mortali Manno, docere populos? Ex eodem Ejusdem loco Historicos Nationis fuisse, qui annales & rerum gestarum commentarios seu ephemerides (id enim per vocem memoria insinuare

Tacitus videtur) versu condiderunt, planum est, sed & hoc pa-
rum. An porrò *Druidas* dicam? Ad quos carmina illa libenter re-
lata voluerit *Melchior Haiminsfeld Goldastus*, JC. celebris & rerum
Germanicarum, *Taubmanno encomiaste*, *Phæbus*, *animadvers. ad pa-*
raneticam Tyrolis & Winsbekiorum carm. pref. p. 347. Non abnue-
rit *Cluv.* qui *Germ. Ant. l. 1. c. 24. p. 167.* etiam Germanorum Sapien-
tes cum finitimis Gallorum idem Druidarum nomen gessisse
autumat, inductus *Diogenis Laërtij* è proœm. verbis: *παρὰ τε κέλ-*
ποις καὶ γαλάταις τῆς καλεσμένης Δρυΐδας, καὶ σευνοθεῖς ἕναί
φασί. Per Celtas enim ab ipso speciatim Germanos, per Gala-
tas Gallos intelligi c. 2. *eiusd. lib. p. 21.* deducit. Procedit idem ul-
terius & cum Druidarum vocamine *Cæsar*, *Cicero*, alij laxius uti,
atq; eodem totum corpus Sapientum inter Gallos Veterum
complecti aliquando soleant, Bardos (quo nomine ibidem si-
gillatim ij censebantur, qui laudes aliorum, aliorum vituperia
ad lyram concinebant, de quibus *Lucanus*: *Vos quoq; qui fortes*
animos belloq; peremptos Laudibus in longum vates diffunditis avum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi) suos & Germanis assignat,
l. 2. p. 163. Opponunt tamen alij *Cæsarem l. 6. Comm. de Bell. Gall.*
scribentem de Germanis: *neq; Druides habent, qui rebus divinis præ-*
sint, neq; sacrificijs student. Opponunt *Strab. l. 4. Geogr. Diodor.*
Sic. l. 5. Biblioth. Amm. Marcell. l. 15. rer. gest. Item *Aventini verba l.*
2. Ann. Boj. in Tiber. Druidas Gallorum Philosophos & Vates Tibe-
rius Imperator exegit omni Galliâ, succisâ eorum silvâ ipsi in Germa-
niâ trans Rhenum demigrârunt. *Conradum Celten* addunt simi-
lia habere in *descript. Noribergæ c. 3.* Sed nondum ista Cluveria-
nam conjecturam subvertere omninò mihi quidem videntur.
Ad *Cæsarem*, rerum Germanicarum neq; gnarum satis, & negli-
gentem sæpe Scriptorem, ipse jam respondit *Cluv. l. c. cap. 13. p. 83.*
& c. 22 p. 155. 157. *Strabo*, *Diod.* & *Marcellin. ll. cc.* nihil aliud di-
cunt, quàm Gallis fuisse Druidas, Bardos, Vates: Germanis non
fuisse, non addunt, quin hos ab illis uón differre admodum,
quantum ad mores, alibi profitentur. Tandem neque migratio
Gallicorum Druidarum sub *Tiberio & Claudio*, quando Rheno
transmisso in Germanis considerunt, prohibet, quin etiam antè
illos

alios hujus Ordinis & nominis ibidem fuisse credamus. Quin ad hos quasi Fratres suos & in sacrorum non absimilium professione Collegas tantò confidentiùs recipere se potuerunt. Sed hæc de *Druidibus*. *Witrodios & Gruviones*, h. e. sapientes & ab ætate prudentes, Latinis Senatores dictos, *Goldastus ille l.c.* deinde nobis nominat, è Veteri Legum Germanicarum volumine, quorum quasi Censorum publicorum, justiq; & æqui Custodum præcepta politica & ethica rythmum induisse, ut penetrarent se in animos hominum tantò altiùs, verosimile sit. Sed neque de illis præter generalius istud nomen quidquam prætereà certi constat.

§. 6. Ad *Materiam* progredimur, eamq; ævo illo partim sacram, partim profanam ex hæcenus dictis colligimus. Initiò namq; divina tractârunt tum nomina tum opera, (qualis cura & inter Græcos primis Vatibus, *Hesiodo* præsertim in *Theogoniâ* fuit) etli pro gentilitatis modo ac methodo obvoluta fabulis & contaminata. Quo ipso in deflexu à verâ DEI notitiâ cum aliæ gentes alijs petulantiores fuerint & insaniore, Germanos quidem nostros servantissimos præ cæteris priscae religionis fuisse, nescio an ex affectu in patriam nimio, *Cluverius* arbitratur, adeò ut unum, verum, æternum DEum in Trinitate coluisse ipsos sub Solis, Lunæ & Vulcani nominibus existimet, & prolixè conetur declarare *c. 29. l. d. p. 202. sq.* Ubi tamen plura sine dubio quære, quàm invenire à priscis illis Germanis verè cognita, videtur. Deinde Heroas suos & gesta eorundem fortia cantârunt, *Herculem, Ulysssem, Arminium*, aliosq; quem morem etiam ad posteras ætates feliciter transmiserunt, ut videbimus. Sic de Francis *Tritheim. in Chron.* Mos erat *Majoribus nostris, ut Heroum facta vel dicta memoratu digna per Sacerdotes templorum patrijs commendarentur Carminibus, in quibus discendis, cantandis, & memorandis juvenum excitarent ingenia, quæ consuetudo multis duravit annis, nec hodiè deficit, &c.* Sic vestigia ejus instituta supersunt in libro qui vulgo das *Heldenbuch*. Sic ab antiquâ illâ consuetudine *Magistri cantilenarum, die Meister Sânger* suum, quisquis is fuit, morem hauerunt, arbitro *Cl. Berneggero ad Tac. q. 6.* Videntur autem in funeri-

neribus celebrium Virorum & ab ijs statim condidisse Veteres illi
sua isthac encomia. De *Arminio* sanè satis disertè *Tacitus* l. 2. ann.
innuit. De cæteris l. de *Mor. Ger.* paulò obscuriàs. *Sepulcrum*
cespes erigit, ait, monumentorum arduum & operosum honorem, ut gra-
vem defunctis adspernantur. Lamenta & lacrimas citò, dolorem ac tri-
stitiam tardè ponunt. Fæminis lugere honestum est, VIRIS MEMI-
NISSE. At supra dixerat, *MEMORIÆ* unicum genus penes
Germanos, Carmina fuisse, de quorum etiam *Materia* satis.

§. 7. Quâ formâ fuerint, qualibus rythmis, quo numero, in-
compertum habemus. Procul dubio autem quemadmodum
plerumq; initia rerum, disciplinarum etiam ac artium, non secus
atq; fluminum vel maximorum fontes & capita exigua sunt; sic
rudia & illa indigesta q; fuerunt. Superant nulla ampliùs, ex qui-
bus conjecturæ fidem firmare possemus. Et si m. eorum ali-
qua, sua ætate adhuc reliqua, *Carolus M.* consignari literis curâ-
rit, ut *Sigebertus* in *Chron.* a. 794. & *Eginardus* auctor est: *Aven-*
tino etiam teste eadem in Bibliothecis quibusdam Germaniæ
tum adhuc reperirentur; tamen hodiè, an & ubi locorum la-
teant incertum est. *Druidæ* v. ipsi scribere ea omnino soliti non
sunt, uti disciplinam eorundem describens in Gallorum moribus
recenset *Cæsar* l. 6. de *Bell. Gall.* ante ci. in quo ipso eosdem *Ægy-*
ptijs, Turdulis, Mazacenis & populis quàm plurimis alijs se confor-
marunt, observante ex *Strab.* *Æliano* atq; alijs *Cluverius* G. A. l. 1. c. 24.
p. 169. sq.

§. 8. *Finis* porrò, cur literis mandare poëmata sua nefas
duxerint, duplex à *Cæsare* l. d. adducitur: quod neq; in vulgus disci-
plinam afferri voluerint, neq; eos, qui discerent, literis confisos minùs
memoria studere, quod serè plerisq; accidat, ut præsidio literarum dili-
gentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. *Finis* autem car-
minum ipsorum, quem compositione intendebant, tum erat in-
stitutio commodior juventutis, quæ discipline *Druidum* tradita,
magnum ab ijs numerum versuum ediscebat, eodem *Cæs.* ibid. narran-
te: tum gratitudinis erga Majores bene meritos debita declara-
tio; tum posterorum ad imitandas virtutes Heroicas efficax in-
vitatio, unde etiam paulò antè, quàm cum hoste concurrerent
l. fin.

s. singuli in duello s. in prælio universi cum immenso strepitu, in-
terque armorum sonoras collisiones barritu horrido (uti enim
Poëtica ipsorum, ita & confinis eidem Musica iners adhuc & vir-
tutis potius quam vocis concentus erat, ut Tac. noster loquitur.) car-
mina illa repetebant. Hæc de primâ ætate Vernaculorum Poë-
tarum divinari potius, quam justè commentari in præsens licuit.
Sequitur.

GERMANÆ POESEOS ADOLESCENS JUVENTUS,
ÆTAS SECUNDA.

§. 9. Ordinum hanc ab ijs temporibus, quibus scribi cœpta
sunt Germanorum carmina, ijs quibus cœpta tersius scribi &
certioribus quoad Syllabarum numerum, quantitatem, ryth-
mum &c. legibus, terminamus. Quanquam utrinque rursus
satis incerti hæreamus. *Taciti ævo literarum secreta Viri pariter
ac fœminæ adhuc ignorabant.* Communiter ad *Carolus M.* scri-
ptionis referunt initium, quippe quem antiquissima de Heroibus
carmina scribi curasse, & patrio sermone Grammaticam in-
choasse testantur *Eginardus, Sigebertus, l. d. Martinus Crus. Annal.
Svev. par. 2. l. 1. c. 8. qui & Ægid. Tschudum in Rhet. Alp. ac Stumpf.
l. 1. Helv. Hist. c. 8. citat.* Repugnat autem Germanæ Antiquita-
tis studiosissimus *Goldastus præf. cit.* & *Carolus M.* non
magis Dædalum fuisse Scripturæ Teutonicæ, quam *Alexandrus
M. Græcæ aut Romanæ Julium Cæs.* pronunciat: *Wileramum* ad-
ducens, quem in medium protraxit *P. Merula* ante annos c lxx clari-
rum, & *Vulcanij* appellans fidem, de fragmentis Theutonicis &
Gothicis c lxx abhinc annis, natis. Sanè nisi ipsum conjectura
fallit, quâ statim à susceptâ fide & datis Christo nominibus pri-
scos Germanos cultiores factos, & latinis literis, quibus nempe
informabantur, in scribendo usos arbitratur; omnino diu ante
Carolus M. initia ætatis secundæ ponenda erunt. Nam secundo
jam tum à *Ἰερογλία* seculò, *Irenæus l. 1. c. 3.* tertio, *Tertull. l. adv. Jud.
c. 7.* quartò, *Hieron. Epist. ad Suniam & Fretelam* (citante & pro-
lixis deducente *Exc. Dn D. Job. Meisnero, Præceptore nostro honora-
tissimo, program. nupero Fest. Pentec. de primordijs disseminata in Ger-
maniâ*



maniâ fidei.) florētissimas in Germaniâ Ecclesias agnoscunt & prædicant. Nolumus magno illi Viro, cui in hoc genere literarum parem nondum vidimus, denegare fidem: interea tamen neq; ipso abnuente addimus, ex multis Vett. Historicorum monumentis, *Aventino, Rebman. Vadian. Francisco Fabri, Crusio &c.* patescere, quod ante *Carolus M.* etiam Græcis literis Germani scripserint, regnante ipso deinde latinis quoq;. Post excessum ejusdem LX. circiter annis *Osfrius Monachus Wissenburgensis ad Luitbertum ArchiEpiscopum Moguntinum IV. libros Evangeliorum* rhythmicè scribens, de difficili & indisciplinabili linguæ nostræ ratione & scripturâ adhuc queritur, *A. DCCCLXXV. Pontan. Or. Eris. p. 587.* In Diplomatum etiam Imperatorum & judicialibus causis ac privilegijs describendis usq; ad ann. *elccc & Fridericus II. atq; Rudolphi I.* tempora latinâ linguâ pariter & literaturâ omnes usos, concordi plurium testimonio confirmatur. Mittimus plura de hoc genere, & quomodo quæ diximus ad Andromachen nostram faciant, paucis nunc applicamus. Nimirum arbitramur verosimile, quoniam diligentius concinnantur plerumq;, exactius dedolantur, fideliusq; conservantur, quæ scripto ad posteros transmittimus, Carminum etiam veterû Germ. rationi non parum paulatim accessisse, ex quo in literas redigi consueverunt, atq; adolevisse hinc sensim Poësin Vernaculam per ista antè commemorata secula, donec duodecimo insigniter floreret, & roboris plurimum acquireret.

§. 10. Circumspecturis nunc porro de Poëmatum hujus ætatis *Autoribus, Materiâ, formâ, sine & similibus*, paucissima rursus suppetunt. *Wileramum & Osfridum* jam audivimus. Alios præter hos nominare vix audemus. *Hrosvitam* Poëtriam *Taubmanus l. d.* citat, quæ *Terentium* æmula *Comædias VI & Ottoni M. Panegyricum carmen* conscripsit. An eadem patriâ linguâ quicquam condiderit, ignotum habemus. *Materia* cum prioris ætatis illâ ut plurimum convenit. Sacra enim carmina *Osfridi* illa fuerunt. Sacra item quorum meminit *B. Rhenanus l. 2. Rer. Germ. ex libro vetustissimo Evangeliorum sacrorum in Theudiscam linguam verso, ap. Crus. Annal. Sæv. l. c.* Veteris Testamenti vetustum Para-

Paraphraſten *Goldaſtus paſſim in Animadv. all. laudat p. 359. 360. 365. 367. &c.* Deinde Heroum viſas & facta concinebant. Ple-
raque enim ex mediâ hâc antiquitate ſunt, quæ de *Oimite Longo-
bardo, de Woluf Theodoricho, de Gibicho Vangione, de Laurino, de
Theodorico Veronenſi, de Hiltibrando Gotho, de Sigfrido Corneo A-
grippinenſi &c.* ſatis longa circumtulertunt carmina. Cæte-
rum ſermo adhuc horridus, multis adſpirationibus, concuſſu vo-
calium & conſonantium plurium aſpero hians & durus, eloquen-
tia, quam priſci illi diu ut inimicam ſimplicitati morum averſa-
bantur, exigua, numerus & quantitas metri pæne nulla, rythmus
audax, totaq; adeò ratio parum adhuc nitida. *Finem ſcripturæ,*
conſervationem fidelioſam, memoriamque intendebant dura-
biliorem. Iſtis autem carminibus eadem, quæ primi ſeculi
Vates, quærebant. Hæc etiam de alterâ ſectione.

GERMANÆ POESEOS FLORENS ROBUR,
ÆTAS TERTIA.

§. 11. Cœperant jam in Aulâ *Caroli M. Francorum, Arturi*
item *Britannorum*, ſed è gente *Saxonum*, incomparabilis Regis
Equeſtres Viri cum exercitijs corporis animi gymnasmata utili-
ter miſcere, & contendere non manu tantùm & gladio; ſed voce
etiam, verſu ac calamo de gloriæ palmâ. Quæ res etſi per bella
Regum ſucceſſorum plurima non parum ſufflaminaretur; (cum
Muſis enim Marti rarò convenit) tandem tamen eò uſque aſſur-
rexit, ut *Friderici Barbaroffæ & Filij ejus Henrici VI* temporibus in-
ſignis Poëtarum illuſtrium proventus ſubnaſceretur, cui in me-
dio ſeculo XII. in primis florem Poëſeos vernaculæ adſcribimus
non immeritò & robur quaſi virile, ſed quod nimis citò langue-
factum & attritum emarcuit, ſeculo XIII. & XIV. ſparſim jam
attenuari cœptum, ut paulò poſt §. 16. oſtendemus.

§. 12. Felicem hanc ætatem Poëſi noſtræ fuiſſe nemo mira-
bitur, qui audiet Reges ipſos & Principes lauros & lyras tum am-
biſſe, quaſi diademate & ſceptris contenti non eſſent. *Golda-
ſtus lib. alc. ex Heroum libro (Heldenbuch) & monumentis Schobinge-
rianis alijsq;* paſſim nobis laudat verſus *Henrici VI. Imperat. Canra-
di Re-*

*di Regis Romanorum, Wenceslai Bobemorum, Tirolis Scotorum (aut
 ex eorum saltem sanguine creti: Annales enim Scotici ipsum
 ignorant) & Filij ejusdem Friderici, Henrici ducis Uratislav. Jo-
 hannis ducis Brabantie, N. ducis Ascanie, Ottens Marggrafens zu
 Brandenburg mit dem Pfeile/ Henrichs Marggraff zu Meissen/ N.
 Marggraffens zu Hohenburg/ eines Burggr. von Lünge. Quos
 secuti Comites, Barones, Nobiles & insignes Viri alij innumeri,
 utpote, Graff Kunrad von Kilchberg/ Graff Friederich von Leinin-
 gen/ Gr. Krafft von Toggenburg/ Gr. Rudolff von Neuenburg/
 Gr. Albrecht von Heigerlou/ Gr. Otto von Bobenlube/ Herr Gott-
 fried von Nifsen/ Herr Ditmar von Aft/ Herr Heinrich von Morun-
 ge/ Herr Walther von Klingen/ Herr Werner von Lützen/ Herr
 Heinrich vnd Herr Eberhart von Say/ Herr Rudolff von Kotten-
 burg/ Herr Ulrich von Gutenberg/ H. N. von Gliers/ H. Jacob von
 Warte/ H. Heinrich von Veldig Wolfram von Eschelbach/ Noster
 von Wengen/ Reinmaur von Zweter/ Walther von der Vogelwei-
 de/ Noster von Singenberge/ Truchses zu S. Gallen/ N. vom Gra-
 venberge in Wigolais / Ulrich von Lichtenstein/ Heinrich vom
 Ofsterting/ Hans von Ringenberg / Otto von Turne / Ulrich
 Schenck von Winterstätten/ Kunrad Schenck von Landegge/ Zan-
 huser/ Winsbefe vnd die Winsbekin / *que ob singulare prudentie ac
 virtutis exemplum Gynaceo Friderici Barbarosse prefecta, & quam
 penes arbitrium ac jus decernendi victorias ac coronas poëticas in cer-
 tamine musico (non secus enim quam in hastiludijs s. Tornea-
 mentis, victoria cantus à virgine vel matronâ nobili offerri so-
 lebat illi, qui in gymnasmate musico cæteros præcelleret) volue-
 re, verba pleraq; sunt Goldasti initio animadv. ad Winsbekij pa-
 ren pag. 387. Et quis omnes edissereret? Nominasse præcipuos
 suffecerit.**

§. 13. *Materia hujus seculi carminum latius jam diffundi-
 tur. Sacra non negligebant omninò, sed passim, præsertim in
 paræneticis, de pietate colendâ, de Ministris Eccl. honorandis &
 similibus insignia interspergebant monita. Cùm etiam Beren-
 garij Andegaviensis, qui præsentiam corporis & sangv. Christi
 in Sacramento negavit, ab Arnoldo Brixienti suscitaretur isto
 tem-*

tempore error, & propè ipsum *Oenobarbum Imp.* inficeret; ideo præsentiam illam sæpius inculcant Equestres isti Poëtæ *Tyrol, Winsbefe/ Fridrich von Sunenburg/ Boppo, Kunrad von Wurzburg & alij.* Nec prætereunda h. l. *Kunrads von Helmsdorff Collatio N.T. cum veteri historiâ.* Deinde eminent *Ethici & Oeconomici labores, parænetica Parentum ad Liberos elegantissima, Tiro'is inprimis & Winsbekiorum,* quam disciplinam & alios plures olim inter Germanos Principes observasse, *Eschelbachius par. 2. des Heldenbuchs restatur.* In Certaminibus ipsis Juvenes *ἔγωπα* ut plur. non tamen obscœna vel impudica recitabant: adultiores cæteri Heroum gesta celebrabant antiquo more, ut *Stricker de Gestis Caroli M. Tanbuser, Mauner & alij:* censebant etiam seculi mores & vitia Satyris non mordacibus minùs quàm lepidis. Ut exemplo unico rem declarem, Pontificum Episcoporum & Cleri reliqui, secularibus negotijs & bellis se implicantium, inquinatissimam vitam & mores perditissimos sæpe reprehendunt. *Reinmar von Zweiter ap. Goldast. p. 426. Der vnter stole fluchet/ schiltet/ bennet/ Vnd vnter helme robet vnd brennet/ Der wil mit beiden Schwerten striten: Mag das geschehen in Gottes Namen/ So darff sich sante Peter schamen/ Daß er das nicht entpflagt sinen ziten. Marner ibidem: Nu sind die stole worden Swert/ Die vechtent nicht nach Seelen/ nûwan nach Golde. Wer hat euch Bischoff das gelehrt/ Das ihr vnter Helme ritent/ da die infel sînen solde? Innomatus Imperatoris Cancellarius similia ibidem notat p. 427. Winsbefe s. 6. En ruche (noli curare) wie die Pfaffen leben/ du solt doch dienen Gotte an ihn: Sin gutt ihr Wort/ ihr Werck sin krump/ So volge du denn Worten nach/ ir Wercken nicht/ ald du bist tump. V. & Tyrol. s. 11. Idem hi immiscuerunt ænigmata sæpe & fabulas, satis grandi & pulcrâ locutione, nisi quod inficeta dialectus, obsoletæ multæ dictiones, & licentior figurarum Grammaticarum usus ingratham eandem reddant. Sed ad formam: ubi, his observatis*

S. 14. Metrica ipsorum non omninò nulla est, sed multorum satis proba. Sic *Tyrolis & Winsbekiana carmina* jambicis quaternarijs & octonarijs propemodùm accuratis, tota con-

stant. Jambicōs aliorum generum breviores & longiores etiam, Versus communes, ut vocamus, & Alexandrinos passim reperire licet in citatis à Goldasto fragmentis. Trochaicos etiam habent sæpe ut Herr Eberhart von Sax p. 391. *Swas dir alle Menschen Zungen/ riches lobes je gesungen/ das ist alles doch ein wicht (i. e. nihil.)* Ulrich von Lichtenstein/p. 389. & 374. Grass Kunrad von Rilschberg & alij p. 424. p. 447. &c. Immo Dactylicos quoq; & Anapæsticos V. pag. 398. quos propterea Excell. Dn. Buchnerus, *Præceptor noster atatem de venerandus*, se instaurasse potius quàm excogitasse fatetur, c. 10. *introd. ad Poës. Germ.* Coordinationes ipsorum plerumq; Musicæ sunt, quas Odas dicimus. Rythmus ut plurimum regularis & per Winsbekiana carmina singulis strophis semel quadruplex est. Triplex ap. alios sæpe frequenter. Masculinam terminationem, quemadmodum Itali in mollioribus fœmininam, maximè adhibent; fœmininam tamen promiscuè, quasi æquiparent aut perinde habeant, interferunt. V. *Tirol. §. 5. 11. 17. &c. Winsbek. §. 19. 21. 29. 31. 36. &c. Winsbekin §. 3. 4. 5. 6. &c.*

§. 15. *Aut prodesse volunt aut delectare Poëta, Aut simul & jucunda & idonea dicere vita*, ut canit Horatius de Ar. Poët. & post pauca interjecta: *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci, Lectorem delectando, pariterq; docendo.* Ad utrumque scopum collinearunt hujus ætatis Vates ingenui, utramque metam assecuti sunt, delectantes concinnitate rythmi, numerosâ oratione, tropis & figuris, fabulis item elegantibus: docentes deinde delectu materiæ circumspicere, censurâ morum & seculorum exquisitâ, institutione juventutis absolutissimâ. Quid ultra laudibus hujus ævi addi queat? Sistimus, & ad querelas convertimus sermonis cursum. Sequitur enim.

*GERMANÆ POESEOS MORIBUNDA SENECTUS,
ÆTAS QUARTA.*

§. 16. Nimirum quod *Poëta Latinus* paucis explicat: *Sine Mæcenates non deerunt, Flacce, Marones*: quodq; *Opitius noster in ædic. poëm. suorum ad Ludov. Ascan. ducem* prolixè deducit, à
Magna-

Magnatum clemente patrocínio & favore omnis Eruditorum, etiam Poëtarum fortuna est, resque & illorum & horum panè eosdem fatales agnoscunt terminos: Id experta etiam vernacula nostra Poësis est. Crescebant olim in Latio in immensum sub *Julio Cæsare*, Poëta & ipso, hæc literæ: sub *Augusto* literatissimo summè florebat, *Mecænate*, *Vario*, *Pollione*, *Corn. Gallo*, *Virgilio*, *Horatio*, *Ovidio*, *Propertio*, *Basso*, *Tibullo* & alijs feliciter emergentibus. Decrescebant sequioribus sensim seculis, donec una cum imperio deficeret ferè Poësis latina & Tyrannis malè regnantibus malè canerent semibarbari Vates. Sic & in Germania nostra cum non ampliùs *Carolus M.* & *Fridericus Barbarossa* aut similes horum excitarent & foverent Poëtas, factum paulò post est, ut non langueret tantum sed ferè exspiraret omnis vernacula Poësis, quo non parum contulerunt sub *Friderico II.* Pontificum fraude & tyrannide excitati motus & Guelforum adversus Gibellinos (i. e. Papæ asseclarum contra Cæsareanos) infestæ factiones: Plurimum autem interregnum istud plus quàm vicennale, quod præfati Imperatoris infelicissimi obitum seculo XIII. fecutum est. Illud enim cum imperio & rebus Germaniæ universis literarias quoque miserrimè afflixit, & ante *Rudolfi I. Habsp.* electionem, Nobilitatis illud Musicum s. poëticum exercitium, quo censebantur mores & excolebantur ingenia mirificè, damno ejusdem ingenti è medio sustulit. Ex quo deinceps etsi unus atque alter adhuc elevaret aliquando vocem, fieri tamen non potuit, quin barbariei totis viribus ingruenti tandem victas Poësis quoque nostra præberet manus, & cum cæteris obtorpesceret artibus ac disciplinis.

§. 17. Desiderat verò deperditam cum Eloquentiæ & Rhetorices studijs anxie *A. 1489. Franc. Fabri Ulmensis Hist. Sæv. l. 1. c. 11. p. 39.* quando Itolorum adversus Germanos recolit calumnias, supercilia, criminationes. Desiderat *Fridericus Taubmanus A. 1609. in præf. Cul. Virg. Cur ô mea Mater Germania, scibens, hunc genium (veterem) tuæ Musæ non etiam porrò continuâsti? Pudet me pigerque stuporis, quo ante centum annos & quod excurrit vetus illa gloria cupiter contaminata visitur.* Et rursus post adducta nullius

lius ingenij vel artis Epitaphia quædam barbarorum tempo-
rum istorum von Meister Petern im grünen Gras/vom Herr Mel-
cher ein Pfarrherr gewesen ist welcher/von Hans Haschebrotten &c.
(quæ cum sint jam nota plurimis, integra adscribere superse-
demus): *Erubesco & taceo, subijcit, indignor etiam, nostros, cum vi-
deant Italos, Gallos, Hispanosq; suam linguam certatim tollere, & ex-
colere, emulatione non accendi: cum lingua Theutonica si perpo-
liatur non minus elegans & venusta sit, quàm quavis istarum.*

§. 18. At dices forte: non meminit Lutheri & Coetaneorum
Taubmanus? Non illi resuscitârunt jam intermortuam poësin?
non prostant cantica ipsorum? Prostant utiq; & nota sunt; sed
in quibus, si verum fateri liceat, plus pietatis & sapientiæ Theo-
logicæ residet; quàm artis & expolitionis poëticæ, quæque ad
normam Scripturæ S. ad canones Apostolicos & Propheticos
magis quàm Poëticos quadrant. Quanquam aliquando, sed
casu potius quàm certâ disciplinâ Jambici pariter & Trochæi sa-
tis regulares intercurrent. Sed neq; ipse B. Megalander longè
arduioribus intentus Poëtam sese unquam jactavit, quippe qui
multis quidem per cantilenas istas Evangelicam instillare veri-
tatem, nemini verò Spiritus poëticos indere s. voluit s. potuit.
Nolumus tamen hæc ideò dicta, quasi arbitremur sanctis illis
hymnis admovendas nunc manus, & exturbandos eosdem aut
reformandos esse. Sanè qui hoc ageret, de Poëtica qualiter-
cunque, de Ecclesiâ Dei vero malè omnino meriturus esset, quam
turbaret præposterâ religione seu superstitione potiùs & rudio-
ribus non leve offendiculum præberet. Sed ad finem properan-
dum erit. Restat adhuc

*GERMANÆ POESEOS REFLORESCENS FELICITAS.
ÆTAS QVINTA.*

§. 19. Revixit tandem de integro Poësis quoque nostra,
postquam jam cæteræ artes Deo propitio redivivæ per seculi
spacium & amplius à novâ pueritiâ non adoleverant modò;
sed ad consummatissimum robur, succreverant: verum tantò
augu-

augustior ipsa & perfectior, quāntō serior revixit: Circa Annum
 videlicet vigesimum seculi hujus, paullō post illa *B. Taubmanni*
 cum indignatione mista desideria. Fallor, an iisdem his pro-
 cul dubio lectis excitatum est igneum *Opitij* ingenium, ut quasi
 oleo affuso effervesceret honestissimā exterorum æmulatione,
 donec pleno jubare tandem velut novus Germanis radiaret Phœ-
 bus. Hic enim jam A. 22. cū in Daciā ageret cunas Christi
 cecinit nostro idiomate, & meditatus dehinc Zlatnam est, seu de
 animi tranquillitate melos elegantissimum. Similis argumenti
 aliud de Vitæ rurestris laudibus, aliquot annis ante in Acade-
 mijs adhuc degens pepigit, uti in *dedicat. ejusd. Nobili Viro Marco*
Teubner/ipse fatetur. Inter silvas una sic præscribit: *Auff den*
Anfang des 1621. Jahres. Neq; hæc omnia tacitus edidit,
 sine popularium festo applausu. Acclamabant *Nobilis. Cass. Bar-*
thius: - Te Vindice, literate Vates, Maternæ gravitas leposq; lingua
Et Grajos premit & premit Latinos. Per Te, qui bene dimicabat o-
 lim Teuto, nunc bene non minus loquetur. *Exc. Buchnerus noster: - quic-*
quid uspiam pangunt Vates Pelasgi, Romulique cantores, Et vos, Poë-
ta Celticique Tuscique (ô rarum! ô ingens! ô sacrum ingent mon-
strum!) Id omne dulcis Opitij canit Musa. Quod porrò vincas,
Teuto, nil tibi restat: I, & supremum gloria occupa culmen, Bellator
ante nunc & optimus Vates. *Hugo Grotius: Multum ego, sed mul-*
tò Tibi plus Germania debet, Aonias que jam Te Duce potat aquas.
Mercuriusque orbi es alter & alter Amor, Janus Gruterus subijcit.
Zingrefius: Opitius nostræ gloria prima lyra. &c.

§. 20. Addendum verò in inferiori Germaniâ seu Belgio
 alios præluxisse facem *Opitio* nostro, id quod ipse dissimulare
 noluit. Unde *Silvar. l. 1. edit. ult. p. 51* *Auff Danielis Heinsij Nieder-*
ländische Poëmata:

Die Teutsche Poesie war gank vnd gar verlohren/
 Wir wusten selber kaum von wannen wir gebohren:
 Die Sprache/ für der vor viel Feind erschrocken sind/
 Vergassen wir mit fleis vnd schlugen sie in Wind.

C

Bis



Bis euer' grosses Herz ist endlich ausgerissen/
Und hat uns klar gemacht wie schändlich wir verliessen
Was allen doch gebührt: Wir redten gutt Latein
Und wolte keiner nicht vor Teutsch gehalten sein.
Et post pauca: Ich auch weil ihr mir seit im Schreiben vor-
gegangen /

Was ich für Ehr vnd Ruhm durch hochteutsch werd erlangen/
Wil meinem Vaterland eröffnen rund vnd frei
Das eure Poësie der meinen Mutter sey.

Sed & ipsi *Heinsio* prævit hanc viam *Doufa* ut conjicio ex *Carmine*
Grotij ad Opitium: Quantum florilegis Ronsardi Gallia Musis, Vel mea
Doufeis Patria Carminibus. Tantum Teutonici debet tibi nominis &c.
Neq; tacendus hic nobis est *Nobilisq. Vic. Tobias Hübnerus*, Ma-
gister *Deßaviensis Aulæ*, qui plura de *Bartasso* vertit, & multa
Germanica Carmina, vel ante ipsum *Opitium nostrum* dedit, sed
nondum numeris suis omnibus absoluta.

§. 21. His initijs feliciter factis multorum illustrium inge-
niorum jugi operâ exculta Poësis nostra & perpolita insigniter
est. *Augustum Buchnerum* nostrum denuò honoris & gratitudi-
nis ergò nominamus, quippe qui non ipse tantùm sub initia sta-
tim renascentis hujus literarum generis plectro admovit Teuto-
nico doctissimas manus; (De quo ipse *Opitius in laude Martii p. m.*
155 v. 502. sq. Du willst gepriesen werden Von Geistern derer
Krafft sich in die Wolcken schwingt/Wie manche Nachtigal am El-
bestrome singt/Dringt Thal vnd Werder durch / ernehret gelehrte
Herzen/Mit ihrer Stimme frucht vnd nuzt der Sorgen Schmer-
zen durch einen süßen Thon. & *Flemm. p. m. 189.* Ist Buchner nur
nicht todt so lebet Opitz noch) Sed & alios ritè versare hanc *lyram*
post, *Opitium* quidem qui tumultuariâ saltē ut fatetur operâ
Profodiam suam condidit, sed plenius & accuratius multò do-
cuit. Quos porro alios memorabimus in tam ubere proventu?
Genuit eade n *Boleslavia Silesiaca*, quæ *Opitium* dedit, plures non
infeliciter ipsum æmulatos, præsertim *Dn. Andr. Tscherningium*,
nunc

nunc in almâ Rosarum humaniores literas profitentem, & Dn. Christophorum Colerum, cujus innumeras dotes incluta sibi Uratislavia vindicavit. Quâ gloriæ præfatiunculâ Generosum Dn. Dietericum à Werderu: quo loco lepidissimi ingenij Vatem Paulum Flemmingium Variscum, recensebimus? Quid de Hermanno & Ristio, de Harstörffero & Schottelio, de quæ alijs famigeratissimæ καροποιων (ita enim secundo ordine designari voluerunt, qui sub Illustribus auspicijs vernaculæ nostræ incrementa & dignitatem quæritant) Societatis membris atque corculis lectissimis dicemus? Quin tacemus potiùs, dum clarissima Nomina sese ipsa loquuntur, & ab Autoribus ad materiam carminum hujus ævi & reliqua progredimur.

§. 22. Omne Sophos ferè sacrum & ne-sacrum nostrò nunc carmine complectimur: dum alij DEUM & divina canunt, natales, vitam, mortem, triumphos DEI-Hominis prædicant, libros totos, partes plurimas Sacri Codicis versu induunt, Liberata pangunt Hierosolyma, similiaque concinunt: aliorum lyræ arcana naturæ historias terrarum & hominum, præcepta moralia & civilia, & quæ non præterea sonant. Et hæc quidem tam eleganti venustate, (qui quod non sunt, esse volunt, temerarios vulgo Poëtastros nihil hoc loco moramur) tam blandâ varietate, tam accuratis legibus, quàm ulla olim Græcorum aut Latinorum, cum vigeret bellissimè, agnovit Poësis. Observamus tempora Syllabarum, non numeros modo. Scribimus Genethliaca, Epithalamia, Propemptica, Hymnos, Soteria, Epicedia &c. Sive cothurnos velis heroos, seu mites elegos, s. varios lyræ sonitus, præsto sumus. Jambicis omnis generis, Trochaicis, Dactylicis, Anapæsticis, Chorjambicis, Glyconicis, Adonicis, Sapphicis, Alcaicis, Phaleucis & quibus non generibus passim ludimus. Sequimur Pindarum etiam non æmulandum. Neque Galli quicquam amplius in delitijs habent aut Itali, quod non æquè apud nostros legas. Quæ idiomatate suo vocant Sonnettes, quæ Rondeaux, diu concinnamus, nostro ore Klingreimen/Ringel.

Ringelgedichte dicentes. Illud etiam Epigrammatum genus, quod Musicis artibus accommodatur optimè omnium, *Madrigal Italis* dictum superiori anno *Cl. Caspar Zieglerus Lipsie* plectro applicuit nostro. Ad summam: eò usq; jam in nitidandæ linguæ & Poëseos nostræ studio progressi sumus, ut verendum sit, ne minuatur potius deinceps curiositate quorundam nimiâ, quàm au-geatur hæc gloria. Sic enim plerumq; res habent mortalium lubricæ, ut cum in summo flore constitutæ, neq; consistere in eo, neq; ad meliora provehi possint, necesse sit eas tandem à deterioribus excipi. Sed prohibeat hoc diu *Æquus Æther*, ita vovemus, atq; abituri hanc scenâ, paucas adhuc spargimus

Επιφωρίδας.

1. Errant, qui omnem omninò Veterum Germanorum poësin ἀμετρον, inconditam, proso-carmineam, merè rhythmicam putant. 2. Cum imperijs & linguæ propagantur, atq; hinc Carolus M. prudentissimo instituto vernacula excolenda diligentius operam dedit. 3. Non est indigna Principe ac Nobili Viro, neq; Theologo etiam, Poesis. 4. Donata civitate nostrâ vocabula peregrina proscribere nunc, ex Sciorum quorundam sententiâ, non tenemur.

F I N I S.

Præstantiss. DN. RESP.

Sicutus ille Parens te nunc, SCULTETE,
videret

In publico rursum tam benè stare
loco.

Quid sibi de tantis modò non promitteret
ausis?

Et credat forsàn Te superare Patrem.

JOHANNES MEISNERUS, D.
& Prof. Publ.

Est innatus amor Patriæ, morum, atque
loquela

Nobis, horum aliqui vix, tamen im-
memores.

Ate maternæ linguæ, perdocte, probatur
Scultete, augmentum, principium &
medium.

Sic es Germanicis charus turbaq, novena
Gratus, que spondet prospera queq, Tibi.

ita gratulatur Præstantissimo
Dn. RESPONENTI

M. Christianus Bilefeld,
Coll. Pbil. Adj. b. t. Decanus.

Historiæ Veteris Musæ & divina Poësis
Sunt labor; astalijs; otia, *Amice,*
Tibi.

Quanta sequi censes hanc absque quiete
quietem?

Utile quæ dulci miscet, & alta jocis.
Nomina Te laudis, non nomina nuda ma-
nebunt:

Nec sterili lauro cinget Apollo comas.

auguratur ita & precatur

M. Jacobus Reichman, Colleg.
Phil. Adj. S. S. C.

Sonnet.

Es hörte Wittenberg/ Herr Schults/ Mi-
nervens preis/
Dich neulich ohne Zwang der Römer Rede
zwingen/
Und was der Sonnen Glantz nur nechst ver-
dunklet/ singen.

Nu

M. Christmann Bilsfeld
Coll. Phil. Adj. S. S. C.

Nu sieht es bald darauff mit Augen deinen
Fleis/
Der Alter / Ruhm vnd recht wohl auszu-
führen weis
Der deutschen Poesie / zum hellen Tage
bringen.
Vnd das nur als ein Spiel. Sonst bist du hö-
hern Dingen
Nach Pflichten beigethan. Das ist nur neben-
Schweis.
Nu spricht es / lieber Sohn / du dreust mir Trost
vnd Wonne
Des Lüfften - Prinkens Kind flucht so nach sei-
ner Sonne/
Wanns kaum hat ausgefielt / mit offenen
Augen zu.
Sind dieses blos allein erquick - vnd feier-
Stunden/
Was hoff ich nicht von dir ? Ist dieses deine
Khu ?
Du bist mir duppelt treu : Ich duppelt dir ver-
bunden.

wohlmeinend hinzu gesetzt

durch

M. Carl Ortloben.

So recht/geerhter Freund / wir müssen vnser
Leben /
Wir müssen vnsern Fleis nicht nur den frembden
geben :
Sie dancken doch nicht viel vnd pralen son-
sten sehr.
Sein Ronsard / sein Petrarch / sein Maro / sein
Homer
Fehlt vnserm Volcke nicht. Die Blätter werdens
zeigen :
Vor welche dieser Lohn instünfftig wird dein
eigen/
Das jeder deinen Ruhm nechst bei den ihren
schreibt/
Vnd vor der Zeiten Todt den Sternen ein-
verleibt.

CHRISTIANUS GANTZ-
LANDUS.



01 A 6640

ULB Halle 3
003 108 309



Sb.

VD 17







62
D. AUGUSTINUS
HUMANIORUM
Germanæ

Ætatibus
TATIO.

Leucorœa
i horis Matutinis
ἔντων Examini sistent

SES
D R Z I D B /

US:
NDENS
ICUS SCULTETUS,
NSIS.

R. clo Io cLIV.
s W E N D E.

